

tiva solum vel meditativa facultate, item castigatione corporis in appetituum suorum nedum frænatione, verum etiam castratione. Tandem spiritus divini cum anima conjunctione confœderationeque per terrenorum abiectiōnem, & perpetuorum ac cœlestium amplexum, hæc tria coniunguntur in unum. Et hac via per similitudinem eius qui solus in trinitate personarum Deus est unus, ei propinquiores conformioresque reddimur ad æternam vitam & eius gloriam, cui laus in perpetuum.

D E M E D I O S P A G I R I C O D I S P O S I T I O -
nis, ad adeptæ philosophiæ veram cognitionem,
& lucis naturæ purum conspe-
ctum.

H E R M E T I S T R I S M E G I S T I .

Cum expositionibus Gerardi Dorn.

Verum est sine mendacio, certum, & verissimum. Quod est inferius, est sicut id quod est superius. Et quod est superius, est sicut id quod est inferius, ad perpetranda miracula rei unius.

Et sicut res omnes fuerunt ab uno, meditatione unius: sic omnes res natæ fuerunt ab hac una re, adaptatione.

Pater eius est Sol, mater eius Luna. Portavit illud ventus in ventre suo. Nutrix eius terra est. Pater omnis Theolesmi totius mundi est h. c. Virtus eius integra est, si versa fuerit in terram.

Separabis terram ab igne, subtile à spisso, suaviter magno cum ingenio. Ascendit à terra in cælum, iterumque descendit in terram, & recipit vim superiorum, & inferiorum.

Si habebis gloriam totius mundi. Ideo fugiet à te omnis obscuritas.

Hæc est totius fortitudinis fortitudo fortis. Quia vincet omnem rem subtilem, omnemque solidam penetrabit.

Sic mundus creatus est.

Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus est hic.

Itaque vocatus sum Hermes Trismegistus, habens tres partes philosophiæ totius mundi.

Compleverunt quod dixi de operatione solis.

ARGU.